




PALAESTRA LATINA



SUMMARIUM

DE FORMA *erunt* PRAETERITI PERFECTI, (E. Jové).

CONLOQUIUM IN SCHOLA.

NOVA ET VETERA, (I. González).

DE JOHANNE SANTOLIO POETA, (A. Avenarius)

CURSUS GYMNASIICUS, (J. M.^a Mir).

CERVERIENSIS ACADEMIAE VIRI LITTERATI.

IN IMAGINEM CRUCIFIXI IN PATRIS TUMULO
STATUTAM, (C. Janicius).

BIBLIOGRAPHIA, (A. Pujol, A. Marqués).

Q. HORATHI FLACCI, (M. A. Caro) in
operculis.

EXERCITATIONES SCHOLARES in operculis.

COMPOSITIONES VERTENDAE in operculis.

Ordinarii atque Superiorum permissu

Q. Horatii Flacci

Oda L. IV, 3 (sequitur)

Hispane reddita.

AD MELPOMENEM

Romae, principis urbium,
dignatur suboles inter amabiles
vatum ponere me choros
et jam dente minus mordeor invido.
O testudinis aureae
dulcem quae strepitum, Pieri, temperas,
o mutis quoque piscibus
donatura cynci, si libeat, sonum,
totum muneris hoc tui est,
quod monstror digito praetereuntium
Romanae fidicen lirae:
quod spiro et placeo, si placeo, tuum est..

*Roma, ciudad señora,
quiere que de sus vates se me cuente
en la amable, canora
familia; en mi su diente
ya hinca menos la envidia roedora.
Tu que lira de oro
dulce haces resonar, tú que si quieres,
Piérede, del coro
de los cisnes transfieres
a peces mudos el cantar sonoro,
si en Roma soy nombrado
y al pasar me señalan con el dedo
cual músico extremado
débolo a ti; yo puedo
alentar y agradar por ti, si agrado...*

M. A. CARO.

RECOMENDAMOS

a nuestros lectores y amigos que tomen el disolvente
por excelencia del ácido úrico el

U R O D O N A L

para curarse de *reuma* y demás manifestaciones
del *artritis*mo.

PALAESTR LATINA

MENSTRUUS DE LATINITATE COMMENTARIUS

Pretium subnotationis annuae, solutione antelata, est 6 pesselarum in Hispania, 7 in America et Lusitania, 8 in reliquis civitatibus. Pretium mittatur oportet ad Administratorem: CERVERA (Lérida) - Universidad - España.

De forma *erunt* praeteriti perfecti

Cum quidquam apud poëtas reperimus a consuetudine abhorrens communiter tradita, illud ab iisdem ex potestate quam habent «quidlibet audendi» factum esse facile censemus. Saepe autem ad eam potestatem confugere non erat necesse, si linguam Latinam bene noveramus. Poëtae quidem, ut decet, profundam linguae habent cognitionem et ideo sine religione sibi formas usurpant rariores quae, quamquam legitimae, vulgo remanent ignotae atque inusitatae.

Ut ad rem cito veniam quam dicere suscepi, quis non credat Vergilium ex necessitate tantum metrica adhibuisse formam brevem *erunt* in praeterito perfecto in illis versibus:

Matri longa decem *tulērunt* fastidia menses

(Buc. IV, 61)

Miscuēruntque herbas, et non innoxia verba.

(Georg. III, 283)

Obstupui *stetēruntque* comae et vox faucibus haesit?

(Aeneid. II, 774)

Et tamen legitima est illa forma quam acceperunt alii quique vates quotiescumque, sponte fluente carminum rivulo, obiter sibi objiciebatur, quod non minimum est legitimitatis argumentum. Apud veteres habemus auctores hujus modi facti et Plautum et Terentium et Lucretium Carum, quorum sufficiat singulorum unum tantum exemplum proponere:

Diū⁽¹⁾ qui domi o-tio- si dor-miērunt decet

(Plaut. Paen. 21)

Menan-dri Eunu-chum, post-quam aedi-les emē-runt⁽²⁾

(Ter. Eun. Pr. 20)

Cum semel institē-runt ves-tigia certa vi-ai⁽³⁾

(Lucr. I, 407)

Cum Vergilio in aurea aetate non dissentit Horatius, qui ter saltem formam brevem retinuit:

Vergili-o adnuē-runt gau-dentes rure Ca-menae

(Serm. I, 10, 45)

Ad hunc fremen-tes ver-tērunt bis mil-le equos

(Epod. IX, 17)

Di tibi diviti-as dedē-runt ar-temque fru-endi

(Epist. 1, 4, 7)

Praeterea brevis hujus formae testes etiam habemus Tibullum, Ovidium, Martialem:

Nec citha-ra, inton-sae profuē-runtve co-mae

(Tibul. II, 12)

Nec stetē-runt in te virque pa-terque me-us

(Ovid. Her. VII, 166)

Nec tua defuē-runt verba, Ta-lasse, ti-bi

(Martial. XII, 42, 4)

Phaedrus eadem forma gavisum esse dixeris, quam sexies saltem in fabulis nullo labore inveni:

Felis-que catu-lis prae-buērunt dapem.

(Lib. II, IV, 24)

Illis rever-tor hos-tis, qui me lae-sērunt

(Lib. III, II, 19)

Pueri-liter luden-tes for-te inspe-xērunt.

(Lib. III, VIII, 5)

Hirci maeren-tes in-digna-ri coe-pērunt

(Lib. IV, XVI, 2)

Numere-mus age-dum, qui-depren-si peri-ērunt

(Lib. V, IV, 10)

Quorum in-ter vil-los can-cri simul ut hae-sērunt

(Append. XX, 4)

Neque putent lectores me omnes et singulos hausisse poëtarum versus, qui eam prodant, quam male vocant licentiam. Ricciolius, qui in prosodia Latina auctoritate pollet nondum superata, praeter voces adlatas in quibus luculenter adparet brevis illa forma, addit etiam sequentes in variis scriptoribus inventas: abierunt, adfuerunt, biberunt, considerunt, dederunt, defuerunt, excierunt, inpulerunt, occiderunt, palluerunt, potuerunt, praestiterunt, prodiderunt, sumpserunt, tenuerunt, tulerunt, transtulerunt; atque certum est eum uni-

(1) Haec littera u in hoc iambico brevis fit ut saepe alias apud veteres. — (2) Iambicus est catalectus. — (3) Viai idem est ac viae destructo diphthongo quo in casu et a et i fiunt longae.

versas ejusmodi voces nondum conlegisse. Unde recte praeter *ērunt* et *ēre* legitimus quodammodo est exitus praeteriti in *ērunt*.

Id ideo conjicere quoque licet ex facilitate quam habuerunt Latini eam syllabam supprimendi non solum antiquissimi, ut *dedrot* pro forma pleniore *dederont* (dederunt), sed etiam posteriores ut *amārunt* pro *ama(ve)runt* et similia, unde in linguam Hispanicam quae ex vulgari Latinae corruptione formata est, illam contractam accepimus formam: *amaron*. Quod similiter accidit in lingua Franco-gallica, Neo-italica et Rumana. ⁽¹⁾

Tandem lex est communiter accepta apud philologos brevem fuisse quondam apud Latinos e tonicam quae in linguam Hispanicam devenerit *ie*: sic *tenet*=*tiene*, *venit*=*viene*, *decem*=*díez*, *pelagus*=*piélagó*, sexcentaque alia. Quomodo ergo exceptionem explicabimus in *venērunt*=*vinieron*, *dedērunt*=*dieron*, *fecērunt*=*hicieron*, *concepērunt*=*concibieron* et similia? Nullam in re inveniēmus difficultatem, si id concedimus, quod aliis constat ex capitibus: apud antiquissimos nempe formam *erunt* praeteriti brevem fuisse, eamque quantitatem in vulgari sermone perstitisse, atque ex eo ad nostram linguam promanasse peculiari aliarum syllabarum ratione.

Quid igitur? Licebit ea forma uti? Eatenus sane licebit, nostro quidem iudicio, quatenus aliis soloecismis utuntur poëtae, namque id verum soloecismum esse non dubito, seu formam quae apud antiquiores Latinos etiam in prosa oratione esset communis.

EMMANUEL JOVÉ, C. M. F.

Conloquium in schola

Etiamnum tempus est

SERAPIUS.— *Quo festinas, Jacobe?*

JACOBUS.— *In ludum literarium.*

S.— *Vide ut blandiatur caelum; eo nobis utendum hodie.*

J.— *At si temperi ludo non adfuerimus, actum est de pelle nostra; schola hinc longe abest.*

S.— *Hac quidem ex parte nihil est periculi. (Clam horologium educit et manicellam retrahit) Inspice horologium; manicella nondum sesqui octavam teti-*

Aún es tiempo.

SERAPIO.— *¿A dónde vas con tantas prisas, Santiago?*

SANTIAGO.— *Pues a la escuela.*

SER.— *¡Qué bueno está el día para gozar de él!*

SANT.— *Pero es que si no llegamos a tiempo lo pagarán nuestras espaldas; la escuela está aún muy lejos.*

SER.— *Lo que es por eso no te apures. (Saca a escondidas el reloj y lo atrasa). Mira aún no son las ocho y media; aún tenemos más de media hora.*

(1) I. Valaori *Vergilius*—Viata si opera poetulul Publius Vergilio Maro. Volum commemorativo-Publicat de *Revista Clasica*.

git; plus ergo triginta minutarum sunt ante horam scholae.

J.—*Quid ais? nonde modo octavam et dodrantem audisti? Nunc jam decem minutae absint a nona. Currit sero, mihi crede, horologium tuum.*

S.—*Quin potius, recte metitur ut nihil supra... Abs dubio tuus te fefellit auditus.*

J.—*Quoquo modo est, interdum mentiuntur horologia...*

S.—*Meum non mentitur.*

J.—*Nunc jam quid faciam nescio.*

S.—*Omnia tu religioni habes. Adside mecum, metumque pone.*

J.—*Modo ne tardi ad scholam veniamus, tuae indulgeo voluntati. Vide, nunc accedit Johannes et quidem properat.*

S.—(Subrubeus) *Ne praepedias eum quem aliquod negotium festinanter sollicitat.*

JOHANNES.—(Versus ad illos) *Quid moram facitis? Vixdum propti veniemus in scholam.*

S.—*In Serapii horologio nondum octava est cum dodrante.*

JOHAN.—*Utpote? (ad Serapium) Nonne ante dimidiam horam mihi adcurrrens tuum meo aptasti horologium?*

S.—(Pudore subfusus) *Substitit horologium meum.*

JOHAN.—*Absonum! Modo chordam ejus intendisti, quo modo tam cito tendiculum defecerit?*

J.—(ad Serapium) *Artes tuas novi; tuum mendacium, non meus me fefellit auditus. Retro manicellam traxisti cum habere nos reliquas minutas ad triginta dices.*

JOHAN.—*Magistro dabis poenas, si facinus hoc tuum ejus perveniat ad aures.*

S.—*Ignoscite mihi, quaeso. (Omnes tres ad scholam properant).*

SANT.—*¿Qué dices? ¿No oíste poco há los tres cuartos? A lo más, a lo más faltarán diez minutos para las nueve. Tu reloj se ha dormido...*

SER.—*¡Imposible! Va como el mejor... Tus oídos sí que te habrán engañado.*

SANT.—*Puede ser, pero también los relojes se equivocan.*

SER.—*El mío, no.*

SANT.—*Pues casi me haces dudar...*

SER.—*Déjate de escrúpulos y de temores; siéntate aquí a mi lado.*

SANT.—*Con mucho gusto, pero cuidado con que lleguemos tarde a la escuela. ¡Mira! Por allá viene Juan, y corriendo...*

SER.—(Algo sonrojado) *No le detengas, que algún grave negocio le traerá preocupado...*

JUAN.—(Dirigiéndose a ellos). *¿Cómo os detenéis? De seguro que llegamos tarde.*

SER.—*En mi reloj aún no son los tres cuartos.*

JUAN.—*¿Pero es posible? (Dirigiéndose a Serapio). ¿No veniste a mí hace media hora, para ponerlo acorde con el mío?*

SER.—(Avergonzado) *Se ha parado mi reloj.*


JUAN.—*¡No puede ser! Si le diste cuerda hace unos momentos... ¿Cómo se ha podido gastar tan aprisa?*

SANT.—(A Serapio) *Ya he cogido tu embuste; tus mentiras me han engañado, no mis oídos. Atrasaste el reloj cuando me dijiste que aún faltaba más de media hora para las nueve...*

JUAN.—*No te escapas de una buena tunda, si el maestro llega a enterarse de tu fechoría.*

SER.—*Por favor, perdonadme. (Los tres van corriendo a la escuela).*

NOVA ET VETERA



Plerisque sane assiduis Palaestrae lectoribus adjunctae birotae seu bicycli pictura in mentem, aperto fasciculo, veniet. Ea nimirum in Candidato Latino hujus *Nova et Vetera* sectionis postremus numerus ornabatur. At vero auxilio hodie erit nobis ad aliquos paragraphos, qui id amantibus Latini sermonis sint, quod agro sunt repastinationes. *Birotam* in primis id vehiculi genus nuncupamus, a vocibus *bis* et *rota*, quasi eae sint in adparatu praecipuum. Vocabulum vero hoc est origine adjectivum. *birotus, a, um*, quod antiqui Latini cuilibet duas habenti rotas vehiculario curru adscribebant. Mirum hinc certe non est, si in lexicis quoque recentioribus omnibus eodem fere modo id exprimitur vehiculi. In eis scilicet notio circuli seu rotae potissimum emergit. Enimvero; Galli vehiculum vocant *bicyclette*; Itali, *bicicletta*; Hispani cum Catalaunis, *bicicleta*; Portugalenses, *bicycleta*; Angli, *bicycle*, quae nomina omnia idem sonant ac duplex circulus seu rota, Germani tandem *Fahrrad* nuncupaverunt birotam, quae quidem composita vox «itineris rota» nostra interpretatur lingua. Birotam commode etiam adpellabis *bicyclum* ex analogia cum recentioribus loquelis, a voce Latina *bis* et a Graeca κύκλος (circulus), quamquam birota magis placet, quae et fonte sit purior, et a Latinis, etsi sensu diverso, jam saepius usurpata.

Birotam in simplicioribus et commodioribus vehiculis adnunc rari oportet omniumque fortunae hominum suffragatur. Ejus praecipuae partes, ut ex tabula adposita vides, sunt: *quadrum* (6), quod octo conflare tubulis solet, horumque quattuor ut plurimum in trapezii modum aptantur. *Flexorium* (12), quod vehiculo hinc inde gubernando inserviat. Duae *rotae* (22) pneumaticis (17) instructae, quarum quidem diametrum 0.70 vel 0.60 metrorum est. Praeter has rotas sunt duae aliae *dentatae* (19), altera scilicet biellae (1) pedali (18) aptata, altera vero rotae posteriori, quae adparatui sustentaculo erit.

Catena (4), *Galle* dicta, quae motum ex una in alteram dentatam transmittat. *Sessibulum* (24), quod nulli deficere quit vehiculo. Exstant et alia minoris momenti organa: *bucina*, *frenum*, *laterna*... In tabula autem sequentia connumeramus, commodi gratia, instrumenta:

1 Biella	6 quadrum	11 luticipulum	16 tendiculum	21 radius tangens
2 bucina	7 modiolus	12 flexorium	17 pneumaticum	22 rota
3 bursa	8 laterna	13 furcula	18 pedale	23 rota rectrix
4 catena	9 frenum	14 canthus	19 dentata (rota)	24 sessibulum
5 guajacum	10 antlia	15 capulus	20 radius directus	25 valvula

Pauca innuemus hic de historia birotae, vel dicam, de similibus, quae eam praeierunt, vehiculis. Ante annum 1893 nondum erat in usu birota, sed alia radiora vehicula. Anno enim 1790 clarus Sivrac *celeriferum* invenit, ex quo mox originem sumpsit vehiculum *draisiana*, in qua rota antica regibilis erat. Pedibus haec duo vehicula agitabantur, qui quidem vicibus alternis solo innitebantur. Anno 1865 currente Michaux anteriori rotae duo aptavit pedalia. Hinc *velocipedum* tandem oritur, quod usque ad annum 1889 hodiernam formam non habuit. Ex velocipedo vero *bicyclus* derivatur, duabus scilicet rotis adparatus constans vehicularius, in quo antica longe erat posteriore grandior. Etsi bicycli rectio nostrae birotae facilior, tamen casus graviores erant. Inde bicyclus, eunte die, esse desiiit, et birota tandem tenuit principatum. Birota vero, ut omnia humana, et aequa et iniqua tempora vidit et fortasse ipsa in non usum veniet. Id autem dico de birota pedum propulsione agitata, quippe quae multotiens motorio instruitur et tunc *motocyclus* audit.

Exstant alia duo ad birotae modum vehicula exstructa, quae nomen quoque a rotarum numero accipiunt: *tricyclus*, *quadricyclus*. Ea in genere oneribus vehendis inserviunt, neque unquam pede sed motorio gubernari solent. Alia tandem vehiculorum genera in Candidato depicta fuerunt (*automobile*, *hydroplanum*, *trahaculum*), quae rursus fortasse in eorum potissimum commodum pingenda curabo, qui *Candidatum* nec cognoverunt, neque, cum fasciculi jam jam non exstant, certe cognoscent. Hic vero diversa adducam vehiculorum nomina, variis in fasciculis Commentarii disseminata.

Omnia ea vehicula facile in tria genera distrahuntur: alia enim homini oneribusque trahendis, alia marium aequori arando, alia aëri metiendo inserviunt:

Automobile*	sarracum	navigium
(1) autotraha*	taximetrum*	paro
carpentum	traha	phaselus
carruca	(4) trahaculum*	ponto
(2) circumveha*	(5) transveha*	prosumia
covinnus	(6) vaporitraha*	(8) pyroscapha*
currus	vectaculum.	ratis
(3) electriveha*	Celox	scapha
metropolitanum*	corbita	submarinum*.
pilentum	lembus	(9) Aërivola*
plaustrum	linter	aëroplanum*
raeda	(7) loricata*	(10) alivehes*

(1) Camión. — (2) Autobús. — (3) Tranvía. — (4) Tren. — (5) Omnibus. — (6) Locomotora. — (7) Acorazado. — (8) Vapor. — (9) Avioneta. — (10) Avión.

autogyrus*

biplanum*

globus*

helicopterum*

hydroplanum*

monoplanum*

(1) regibile*

sesquiplanum*

triplanum*

Ex his denique vocabulis, quae innui, stellula notavi altera, altera nulla. Haec autem sunt vocabula, quae in lexico Latino ipse reperies, etsi hodiernum, cui aptantur, vehiculum antiqui sit non omnino parile. Illa vero eo structurae recentioris sunt, quod ab eis significatae res a veteribus Romanis non cognoscerentur. Sermonem de nonnullis vehiculorum vocabulis scite habuit anno 1923 et seqq. in Alma Roma P. JOVÉ in epistulari commercio cum Avenario et Fornario, clarissimis viris. Ibi, igitur, sodes et originem et naturam aliquorum de re vocabulorum invenies. Et, ut nunc est, de vehiculis satis.

I. GONZÁLEZ, C. M. F.

De Johanne Santolio poëta

Nuper, cum in bibliothecam venissem nostram, ut quaererem nescio quid librorum, oculi inciderunt in colligatos fasciculos commentariorum poëticorum quibus «Gottesminne» germanice, «Amor Dei» latine nomen est, vel potius fuit, nam prodire libelli dudum desierunt. Erraticum volumen, cum post annos non paucos conspexissem et in memoriam redisset me quondam ex illis libellis, vel, ut verius dicam, ex formis litterarum vel typorum in illis foliis adhibitorum nonnihil utilitatis percipere: revolvo. Ecce offeruntur oculis strophae Latinis conceptae verbis, quas diligentius intuers cognovi Johannis Santolii esse, hymnographi saeculi septimi decimi. Quae de eo homine et de hominis arte in illis foliis proposuit Pierre Paulin, ea carptim proponere lectoribus PALAESTRAE induxi animum hoc libentius, quod intellegere videor poëticam Santolii praestantiam et Latinam elegantiam plurimis incognitam esse. Ego certe nunquam audiveram nomen. Nec mirum, si quidem Alexander Baumgartner, Jesuita, in praeclarissimo opere de historia litterarum totius mundi, quae est «Geschichte der Weltliteratur», cum multos Santolii aequales collaudaret, ipsius Santolii ne nomen quidem indicavit. Frustra viri tam insignis nomen quaesivi etiam in insigni Herderiana encyclopaedia, frustra in insigni Brocchusia, frustra in quadam Germanorum Ecclesiastica encyclopaedia multorum tomorum et cetera praestantissima: Solus Larousse meus ut poëtae popularis, duabus lineolis absolvit gallice tam celebre nomen: Santolius Johannes, unus ex recentioribus poëtis Latinis, sacrorum compositor hymorum, natus est Lutetiae Parisiorum; vita continetur annis 1630 et 1697.

Santolius igitur, cuius nomen gallice Santeul est aut Santeuil, nobili natus est loco IV Idus Majas anno 1630. Pater faciebat mercaturam. Ad humanitatem informatus est primo in collegio S. Barbarae, post in celeberrimo Jesuitarum collegio, cui nomen erat ex Ludovico Magno inditum, nam vocabatur *Collège Louis le Grand*. Hic mature excoli coepta est facultas poëtica Santolii per Patrem Cossartum, cui, quoad vixit addictus mansit. Celerrimi adolescens

(1) Dirigible.

ingenti, cum vigesimum aetatis attingisset annum, regularibus canonicis S. Victoris se sociari petiit. Ibi cum factus esset subdiaconus, veritus celsitudinem sacerdotii, in eo gradu sibi perpetuo manendum decrevit, neque quisquam primis annis vitae ejus monasticae suspicatus est adolescentem carentem publico futurum esse in celeberrimis Ecclesiae poëtis.

Principio ex hujus monachi cella soluta folia in publicum efferebant poëtica temptamina, tam elegantia, ut etiam primariis viris magnopere probarentur. Neque ea sacra carmina erant. Ut tum plurimi poëtae «Solarem regem» canebat et ministros ejus et quae in regia aula factae erant. Epithalamia, inscriptiones, epigrammata jam non cessarunt ex Santolii profluere calamo. Cui brevi ad summos viros patuit aditus, quos tenebat non modo laus viri poëtica, verum etiam comitas et mira morum facilitas. Ne tamen vitae ejus deesset illa, quam Christus apud Matthaeum «diei malitiam» vocat, acerbè tulit quae contra eum scripsit Carpentarius, litteratus, et quandam cum Jesuitis contentionem, quibus de rebus alio loco dicemus uberius. Praeterea Bossuetus ille hortari non destitit hilarem hominem, ut, omissa Musa profana, vires ingenii universas sacrae deferret poësi.

Postremos vitae annos cum dignitate inter amicos egit, dum funesto casu abreptus est. Anno enim 1697 reversus a coenobio Trappensi, cujus abbati amicitiae vinculis conjunctus erat, Divionem se contulit ad Burbodem ducem, qui in ea urbe ordinum Burgundiae conventum agebat. A. d. III Non. Sext. questus de acerbis doloribus pectoris, vesperi ejus diei cenae interfuit. Postridie primo consuetam recepisse visus est alacritatem, sed paulo post saevis correptus torminibus mortuus est ipsis Nonis Sext. Nullum cernebat ejus ne in summo quidem cruciata corporis impatientiae signum. Verisimile est mortem maturatam esse vino, cui convivae clam admisceissent Hispanicum tabacum, ut experirentur, quid ex ea potione caperet poëtae ingenium incitamenti. Corpus Santolii primum depositum Divione in ecclesia S. Stephani, inde sumptu Barbonis Lutetiam, in abbatiam S. Victoris, quae cum anno 1800 destrueretur, ossa Santolii in ecclesiam S. Antonii delata sunt, postremum inde anno 1818 in ecclesiam S. Nicolai du Chardonnet. Nunc, antequam ad Santolii poesin venimus, paucis verbis ejus notandi videntur mores. Et nulla quidem ejus vita conspergitur macula turpitudinis, at per totam vitam nimium sibi ipse placuit, nimium apricabatur in poematum suorum et praecipue hymnorum gloria. Et si ratio Christiana postulare videatur de mortuorum vitiis, ut quam cautissime dicamus, tamen Santolina ambitio tam manifesta est tamque firmis publicisque testimoniis consignata, ut eam, qui hominis inspiciant vitam, non extemplo oculis deprehendere non possint. Ejus igitur ambitionis fuit, quod hymnos a se compositos publicis locis declamabat cum serio gesto et distorto vultu, quod currebat in ecclesias, ubi daretur hymnorum suorum frui concentu. Itaque Nicolaus Boileau, aequalis Santolii, facere non potuit, quin ineptientem sale morderet satyrae: «Quoties, —inquit.—hunc video monachum sub ecclesiarum foribus stantem et distorta facie recitantem versus a se scriptos de caelicis, cum video foedam os diducentem et gesticulantem manibus, diabolum ipsam videre videor, quem Deus coegerit laudare Sanctos: Santolius pu-

tabat se, quibus transmitteret carmina sua, eos tanto afficere gaudio ut expensis mitteret acceptorum.

Cum Ludovico XIV regi, mortuo erigeretur statua, de la Feuillade marschallus poetis certamen indixit, quis eorum elegantissimam inscriptionem latine conciperet. Tum ad se accessit Santolium «poëtam urbis».

Quid ille? Raeda se velle pervehi; pervectum satis fastidiose cum marschallo locutum ferunt et in sermone dixisse: «At hercle dignus non es, qui Santolii in Parnasso syrma portes». Et cum ille ostendisset inscriptionem jam traditam a Marturino Régnier, indignatus id genus ineptiarum inutile et nullius flocci esse dicebat. Neque tamen postea vicit ea inscriptio, quam Santolius conflavit, data palma cuidam tertio. Nihil potuit accidere Santolio acerbius.

Quid plura? La Bruyère descriptor morum Gallus, natus anno 1645, mortuus anno 1696, Santolium sic depingit: «Talem fingite: nunc nobilem hominem et suavem, affabilem et facilem, tum repente irascentem et acrem, vehementem et stomachosum; hominem fingite simplicem, liberum, credulum, loquacem, leviculum: ne multa, canum fingite infantem». Idem confirmat Santolium vituperatorum suorum et effodere videri velle oculos et tacite in suam utilitatem eorum convertere monita.

Neque tamen tanta affectatio gloriae ex prava natura proficiscebatur, sed assiduis sermonibus hominum nimium laudantium facultatem poeticae monachi factum est, ut is paulatim sibi videretur, qui dicitaretur, eximius rex eorum, qui tum fuerunt, poetarum Latinorum.

Et tamen nefas erat incorruptam tangere Santolii puritatem. Nam id factum est eo libro qui Santoliana inscribitur, qui sine auctoris nomine editus est in Batavia, quem librum statim notaverunt et detestati sunt canonici S. Victoris.

Santolius sibi ipse suae erat conscius debilitatis, et, si plus habuisset constantiae, haud dubium quin eam penitus fuerit extirpaturus. Quem non verba moveant, quibus interdum animum aperit in litteris amicorum? Vehementer inquit vereor, ne totam jam tulerim mercedem, qui nimium quantum laudes captaverim hominum. Et ad quendam canonicum urbis S. Quintini; «Nullos ille martyr vester majores expertus sit cruciatus, quam ex illis, quos ego homo oppletus peccatis, scripsi ei hymnis, quos, si tu ipse scripsisses, Quintinum, mihi crede, majore affectisses gaudio. Sanctos enim homines de Sanctis scribere oportet. Nam Sanctos, si imiteris, majoribus ornas laudibus, quam verbis aut concinno carmine». Deinde illa reverentia, quae Santolium retinebat a sacerdotio, quid, nisi eximiae cujusdam pietatis signum est? Et quae scribebat sacra carmina, fundebat ex animo, qui ea nocturnis ante altaria meditationibus et divinis colloquiis imbiberat.

ANDREAS AVENARIUS, s. v. d.

CURSUS GYMNASTICUS

CICERO ATTICO⁽¹⁾ SAL.

Scr. in Tarentino XIV K. Maj. a. 58 a. Ch. (Ad Att. 3, 6)

Non⁽²⁾ fuerat⁽³⁾ mihi dubium,⁽⁴⁾ quin te Tarenti⁽⁵⁾ aut Brundisii visurus essem, idque⁽⁶⁾ ad multa pertinuit,⁽⁷⁾ in eis,⁽⁸⁾ et ut in Epīro⁽⁹⁾ consisteremus et de reliquis rebus⁽¹⁰⁾ tuo consilio⁽¹¹⁾ uteremur.⁽¹²⁾ Quoniam⁽¹³⁾ id non contigit,⁽¹⁴⁾ erit hoc quoque in magno numero⁽¹⁵⁾ nostrorum malorum.⁽¹⁶⁾ Nobis iter est in Asiam, maxime Cyzicum.⁽¹⁷⁾ Meos tibi commendo. Me vix misereque⁽¹⁸⁾ sustento.⁽¹⁹⁾ Data XIV K. Majas de Tarentino.⁽²⁰⁾

ADNOTATIONES

1) *Atticus*: T. Pomponius (a. 109-32 a. Ch.), cognomento *Atticus* ex diuturna Athenis commoratione; eques Romanus, Ciceroni conjunctissimus; opibus, liberalitate, eruditione, doctrina maxime praeditus fuit. Libri 16 qui exstant epistularum Tullii ad Atticum, et alia pariter scripta eidem dicata, maximum significant monumentum mutuae ac conjunctissimae amicitiae; ac profecto vera sectatus est Seneca (*Epist.* 21, 7) dicens: «Nomen Attici perire Ciceronis epistulae non sinunt»-Praeclarae Attici virtutes in Cornelio Nepote justum habuerunt praeconium; de illo pulcriorem descripsit vitam.

2) *Non*: Latini negantes rei *qualitatem* usurpant *non*, estque communior negandi particula; cum vero *rem* seu *existentiam* negant *ne* sive *haud* magis adhibent. *Ne* verbis compositis (*ne-quivquam*) et orationibus quoquo modo *prohibentibus* conjungitur, sic: «timeo, curo *ne* sit»: timeo, curo de *non existentia* hujus vel alterius rei.—*Haud* adhaeret praesertim adjectivis atque adverbis, significationem vocis, cui jungitur, negando: *haud* magnus, *haud* dubius, *haud* sane. Vix apud probatos auctores

praecit verbis, nisi in locutione *haud scio an*: quae quidem formula idem est ac *fortasse*: cf. tamen (Cic. *Nat. D.* 2, 57): «*Haud*... erravero;» sed in orationibus, apud eundem Tullium, nusquam invenitur nisi in laudata locutione *haud scio an*. Est negatio simplex majoris vis ac ponderis apud Latinos. (1)

3) *Non fuerat*: Notat dubium jam finitum esse, si vero scripsisset Tullius *non erat*... adhuc aliquod remaneret dubium, i. e. spes Atticum Tarenti aut Brundisii videndi et conloquendi.

4) *Non fuerat mihi dubium quin.. te visurus essem*: Cum propositio primaria *non fuerat dubium*, in tempore inveniatur praeterito, (2) juxta consecutionem temporum, construi debet oratio subordinata cum subjunctivo temporis praeteriti (*visurus essem, viderem, vidissem*). Oratio subordinata est futura comparate ad primariam: «No dudé que te vería (después, más tarde)», sed comparate ad momentum in quo loquitur est *praeterita*: «No dudé que te vería (pero ha pasado ya la ocasión)», ex quo efficitur ut tota oratio *praeterita* remaneat. (3)

5) *Tarentum*: Urbs Italiae inferioris in Calabria, ad sinum Tarentinum ex qua

(1) De his particulis negativis cf. Barrault, *Traité des Synom. Lat.* n. 362 (n. 1853).— (2) Tempora praeterita praecipua sunt praeteritum imperfectum, plus quam perfectum et non nunquam perfectum in dicativi et subjunctivi. Cf. Riemann, *Synt. Lat.* § 236 (1920)— (3) Cf. Riemann, *Synt. Lat.* § 236.

urbe sibi nomen est adeptus, nobilis tempore Romanorum fuit portus, locus salubris ac fertilis. *Brundisium*: oppidum et portus Calabriae in Hadriatico mari, unde Dyrrachium adpellebant naves in Graeciam recta aditurae.—Urbes et parvae insulae primae ac secundae declinationis, quae per singulare flectuntur, locum *ubi* exprimentes, genitivum expostulant.

6). *Idque*: Saepe pro demonstrativo *id* et conjunctione *que* relativum *solum* usurpatur: *Quod* ubi audivit=*atque id, id autem* ubi audivit; non licet tamen conjunctionem adnectere relativo: *Quod autem* ubi audivit, quod recte improbat.

7). *Ad multa pertinuit*: «Esto con-venia, tenia su importancia para muchas cosas». Cf. «Cum virtutibus tum etiam fortuna, si quid hoc ad rem *pertinet*, ornatus.» (Cic. *Ad fam.* 13, 13): «Si es que tiene alguna importancia para el asunto...» —*Pertinet* majore vi ac pondere pollet quam *attinet*; praefixum *ad* refertur ab subjectum aliquo modo, dum *per* relationem exprimit vere objectivam, aliquando materialem, inter rem et subjectum: «Sed quid istuc ad me *attinet?*» (Plaut. *Poen.* 3, 3, 24): «Bien, ¿pero esto a mí qué?; i. e.: no veo que esto pueda relacionarse conmigo». «Illa res ad meum officium *pertinet*» (Cic. *P. Rosc. Am.* 13, 36): «Esto está relacionado *íntimamente* con mi cargo, forma como *parte esencial* de él».

8). *In eis*: «Inter ea». Inter ea ad quae plurimum interfuit Tarenti aut Brundisii convenire, duo enumerat: «Ut in Epiro consisteremus—de reliquis rebus tuo consilio uteremur.»

9). *In Epiro*: Epirus est regio Graeciae in ore maris Jonii inter Illiricum, Macedoniam, Thessaliam et Acarnaniam, montibus repleta et silvosa.—Expriuntur ablativo, adjecta praepositione *in*, propria majorum locorum (regiones, provinciae) *ubi* actio fiat.

10). *De reliquis rebus*: Cf. Stürenburg (Ad Cic. pro Arch. p. 95): «In vocabulo *ceteri* semper inest oppositio, cum *in reliqui* semper perspiciatur residuum aliquod: quare nullo loco cum verbis antellectendi, praestandi junctum legitur vocabulum *reliqui*, sed vel *ceteri* vel *alii*, nec magis invenies *praeter reliquos* pro *praeter ceteros*, ut scl. significatio- ne, qua recentiores ea solent *prae ceteris*.» Et pariter Forcellinius licet aliis verbis: «*Cetera* et *reliqua* in eo differunt quod *reliqua* sunt alia quae supersunt quaeque tamen ratione habita praecedentium diversa sunt.»⁽¹⁾

11). *Tuo consilio*: «Consilium est aliquid faciendi aut non faciendi excogitata ratio» (Cic. *Inv.* I, 25, 36); *consilium* ideo prae se fert allucij rei mente concipere rationem (diseño) et pariter qualitates ad ipsam rem perficiendam necessarias: prudentia, iudicium, sollertia... Hanc quoque vocem invenies pro *animo, sententia, opinione, prudentia*.

12). *Uteremur*: Quod ad hoc verbum cf. Pal. Lat. numerum 22, p. 61-7 in «Cursu Gymnastico».

13). *Quoniam*: «Ya que, dado que; desde el momento que». — *Quod* et *quia* rationem, *quoniam* et *quando* occasionem notant. Hae particulae subjunctivum expostulant tum solum cum causam vel occasionem non a subjecto loquente significantur, sed ab alio, in oratione primaria, implicito vel explicito, cujus sensus auctor propositionis profert; sic: «Inesse enim necesse est in eo, qui ita sit adfectus, et firmitatem animi, nec mortem nec dolorem timentis, *quod* mors sensu *careat*» (Cic. *De fin.* I, 40): «Pues *se dice* que la muerte carece de todo sentido». Attamen generatim modum adsumunt qui in oratione independenti usurpandus esset.

14). *Contingit*: (*com tango*) Justam exprimit relationem rei cum subjecto cui aliquid evenit, et generatim de rebus prosperis dicitur. — Dixit Agraetius: «*Contingunt* bona, accidunt mala, eve-

(1) Forcell. sub voce *ceterus*.

niunt utraque.»—Cui tamen hic non est locus, nam de malis loquens Tullius *contingere* accipit.

15). *Magno numero: Magnus* a radice *mag*, ex qua et *magis* et *macte* promanant, magnitudinis rei absque peculiari notione significationem sibi adsumit, sicut et μέγας. Discrimen ideo habes inter hanc vocem et *ingens*, *grandis*, *amplus*..., quae aliquid peculiaris habent.—Nota *numerum*, sicut et *locum*, saepe in ablativo casu praepositionem respuere: «Esse alicui parentis *numero*» (Cic. *Div. in Cael.* 19, 62). «Obsidum *numero* mitti» (Caes. *Bell. Gall.* 5, 27, 3); «Obsidum *loco* secum ducere» (*Bell. Gall.* 5, 5, 4): «Llevarse en calidad, como rehenes».

16). *Nostrorum malorum*: Haud infrequenter usurpant Latini *noster* pro *meus*, itemque primam personam pluralem pro singulari. Aliquando jungitur prima pluralis primae singulari: «Ad *nostra* me studia referam litterarum» (Cic. *Ad fam.* I, 8, 3). Cf. in hac epistula:

nostrorum malorum—nobis iter; *meos* commendo—*me* sustento.

17). *Cyzicum*: Oppidum Misliae ad Propontidem.—Ingressum in aliquam civitatem significans accusativum usurpamus, addimusque in propriis regionum, provinciarum majorum insularum.

18). *Vix misereque*: Est hendiadys, cf. Pal. Lat. num. 13, p. 53; cf. etiam num. 21, p. 44-8. —Nota scripsisse Ciceronem epistolam Tarenti, accusatum et in exilium a Clodio pulsum.

19) *Me sustento*: «Se sustentare» est animum erigere: «Quod reliquum est, *sustenta* te, mea Terentia, ut potes» (Cic. *Ad fam.* 14, 4).

20) *De Tarentino*; supplendum videtur *portu, oppido*.—In epistularum subscriptione amat Tullius saepius locum *unde* significare: «Data a. d. III nonas Octobres *Thessalorica*» (*Ad fam.* 14,2); alias vero locum *ubi*: «Data a. d. VI Kal. Decembres *Dyrrachii*» (*Ad fam.* 14, 1).

JOSEPHUS M.^a MIR, C. M. F.

Cervariensis Academiae Viri Litterati

FRANCISCI XAVERII DORCA ORATIO

pro cliente suo Raimundo Lazaro Dovio. (1)

Quod erat mihi multis modis optandum et altro etiam omni cura providendum, Reg. Cerv. Academia, ut cum primum patroni partes agerem tali quodam cliente in publicum prodirem, qualis est is quem hodierna die coram sisto; id cum optata quaedam magis quam sperata mihi sors obtulerit, haud potui quin patroni manus libenti atque gaudenti animo subirem. Etenim cum nactus sim clientem D. Raimundum Lazarum de Dou et Bassols Barcinonensem, quo uno nomine satis illum vobis cognitum atque laudatum esse iudico, confidenter spero hanc personam, quam scilicet nunc primum sustineo, cum mihi multo auspiciatissimam, tum vero tibi, Academia, non modo non injucundam fore, verum etiam acceptissimam. Nam patronorum plerique omnes eo adhibentur ut clientes exornent suos; mihi vero ejusmodi cliens est oblatas, ut in eodem exornando minus mihi laborandum sit, quam in hoc, ut ego nimium ne efferar quod multum a cliente videar ornari. Sed enim vos ex iis

(1) Eo die habita quo doctorae in jure civili apud Academicos donatus est laurea.

quae a me dicentur nolite, quaeso, petitoris dignitatem quasi iusto quodam modulo metiri. Siquidem hoc jam denuntio mihi esse in animo leviter transire; meque hodie non magis candidam meritis plane singularibus, aut benevolentiae erga ipsum meae aut vero argumenti copiae, quam temporis exiguitati servitutum. Praesertim cum in hoc adolescente laudando necesse sit ut etiam cum dixeris innumera, plura tamen facuisse videare, quam dixeris.

Nam ut omittam quae urbs Barcino sive de claris ejus natalibus, sive de profectu in litteris et humanioribus et philosophicis, sive de optima jam a puero ipsius institutione abunde atque magnifice loqui potest; quis tam peregrinus Cervariae est, non dico vestrum, Doctores Professoresque, sed vel alterius cujusque ordinis, qui, quam egregiam cliens noster in Jure sive discendo, sive docendo operam ac diligentiam posuerit, ignoret? Profecto gesta sunt ejus non occulta, sed palam; neque audivimus ea modo, sed adfuiimus planeque vidimus. Quandoquidem illae Juris exercitationes, quibus de more praesunt Baccalaurei, non latent nunc, sicut olim, in tenebris privatae domus, ubi impune licebat esse ignavum; sed in media Academiae luce, atque adeo et ipsius Professorum cathedris habentur. Quam provinciam, laboris juxta ac gloriae plenissimam, quemadmodum obierit Raimundus, dum sibi traditam ad erudiendam cupidam Legum juventutem formabat, exploratius cuique est, quam ut a quopiam eorum qui me audiunt nesciri posse videantur. Itaque confinebo me ab ejus laudibus; nec enim tantopere commendari dignus esset quantum certe est, si multis verbis esset commendandus.

Sed unum sane praetermittere non possum quo sese in primis eximium ac singularem praestitit petitorum: summam nempe facultatem latine dicendi, quam ille cum legum scientia et multiplicis litteraturae suppellectili, pulcro quodam faedere, conjunxit. Atque id ipsum non tam ego laudandi tui causa, cliens dignissime, commemoro; quam ut vos, vos inquam, Juris auditores qui nunc estis, praeclarum hoc exemplar secuti, ad studium Latinitatis cum Jure Civili jungendum accendimini. Etenim haec, quam colitis, Matrona, Juris, inquam, prudentia Civilis, cum Romae nata atque alta sit, hoc quasi proprio utitur sermone puro, Latino vereque Romano; hoc gaudet unice, hoc secum agi vult. Qui vero Latini sermonis gustum non habent, ut qualemcumque notitiam Juris habeant, non norunt ii augustam Themidem Romanam, sed ignobilem quandam Latio exulantem et quasi capite minutam Juris prudentiam, vixque hoc ipso nomine dignandam.

Ut enim de Catone M. Tullius, quem illustribus verbis tranctantem res philosophicas inducit, ait in Dialogis videri eum civitatem dare Philosophiae, quae antea perigrinari Romae videbatur: sic contra, qui Juris prudentiam eleganter latine traditam a Romanis Jure consultis, puro minus, ne dicam barbaro, Latinitatis genere deturpant; civitatem illi adimere, et clarissimam Latini Matronam redigere in peregrinitatem videntur. At vero Raimundus noster quam Latinam Juris prudentiam, Deus Immortalis quam jurisprudentem, ut ita loquar, Latinitatem cum semper alias, tum hodie in primis ad hunc locum attulit ut mirum sit ea aetate potuisse adolescentem, qui tantum in Jure studium poneret, otium habere ad hujusmodi elegantiam cultumque sermonis:

eique rursus, qui curam tantam adhiberet in dicendo, spatium fuisse ut tam impensam Juri operam navaret.

Atqui praeclara haec ornamenta etsi fortasse cliens meus, pro eo quo est ingenio, memoria, iudicio, industria et alacritate ad libros non tam legendos quam devorandos, ipse per se adsequi valebat; tamen, quod de C. Caesare scriptum legimus, multum etiam debuit Raimundus consuetudini domesticae. Quanti est enim germanum habere fratrem D. Ignatium de Dou et Basols, virum perfecte planeque eruditum, Legumque olim in hoc Atenaeo dignissimum professorem? cujus exemplo candidatus noster omnis paene generis litterarum intelligens et copiosus evadere. Illius autem an non quantivis est toto tempore Cerveriensi convictorem fuisse summi alterius Jureconsulti et Antecessoris non tam emeriti, quam de republica litteraria bene merentissimi? in quem intuens cottidie petitor animum suum tamquam ad speculum componeret, seseque in dies mirifice poliret? O fortunatum contubernium, tibi-que admodum, Raimunde, gloriosum! quo videlicet ita usus es, ut quem habueris contubernalem moribus et doctrina prae te feras. Simul autem illud effecisti ut cum nobis Professore optimo, fratre inquam tuo, carendum sit; pulcram tamen in tuis dotibus expressamque ejus effigiem cernamus. Neque enim cum fratre tuo major tibi generis et sanguinis conjunctio, quam ingenii atque doctrinae ceterarumque animi dotium germanitas intercedit. Quod quidem aut satis est, Academici Cervarienses, ut cliens iste sit vobis commendatissimus, aut quid satis sit futurum plane non reperio.

Quam ob rem oro te quaesoque, perinlustris Cancellarie, ut florentissimo huic adulescenti, quam postulat, Juris civ. lauream decernas, quam perfecto ut hodie potissimum decerneres, non tam casu, quam merito petitoris accidit: ut praemium, ceteroqui per se amplissimum, eo die nancisceretur, quo propter Augustissimi Conditoris hujus Academiae solemnem jucundissimamque memoriam multo erat honorificentius futurum. Tum tu mihi potestatem facias ut clientem, cujus ego in periclitanda ejus scientia non tam patronus, quam peritiae testis et admirator adfui, more majorum renuntiem Doctorem.

In Imaginem Crucifixi in patris tumulo statutam

*Haec tibi sancta tuus posui, pater optime, natus
anxius et multis munera cum lacrimis:
Marmore non Pario structam, non aere columnam
vana nec excelsae pegmata pyramidos,
sed lignum vitale crucis, quo fracta tyranni
diripuit Stygii ferrea regna Deus,
grassantem victor mortem dum morte peremit
et misero vinctos carcere solvit avos.
Aspice, quo pretio tua vita redempta, viator!
Vendetur vitilis rarius illa tuis.*

CLEMENS JANICIUS

Bibliographia

Conferenze Virgilliane tenute a la Università Cattolica del sacro Cuore in commemorazione del Bimillenario Virgiliano. — *Vita e Pensiero*. Milano, 1931.

Ut refert operis titulus, agitur de collationum scientificarum sermo a maximis in re Vergiliana auctoribus in Catholica Universitate Mediolanensi habitantium. Incipit series harum disquisitionum **Josephus Albini**, in regia Universitate Bononiensi professore, et discutiit Vergilius, anima et ars; sequitur **R. S. Conway**, in Universitate Manchester Professor themate: **Poësis et imperium et vacat studio circa influxum Vergilii in oeconomiam politicam ejus temporis**. **Thadaeus Zieliuski** Professor Varsaviensis agit de Tragoedia maternitatis in scriptis Vergilii dum **Hieronimus Carcopino** in Sorbonensi Universitate Magister descriptiones regionis Latinae in Aeneide contentas commemorat; **Fritz Wege**, professor Breslaviensis investigat Vergilium et artem figurativam; denique **Gino Funatoli**, professor catholicae Mediolanensis Universitatis seriem collationum claudit cum suavissimo themate **Vergilius pacis poeta**. Nomina auctorum et subjectum dissertationum nos ab ulteriore hujus voluminis commendatione liberat.

ALOISIUS PUJOL, C. M. F.

Léon Debeauvais. — Cours de «Langue Latine. — Grammaire Complète. — Librairie Classique Eugène Belin, 8 Rue Férou 8, Paris.

Verissime profecto quid temerarium esse adserit auctor in prooemio novae grammaticae Latinae confectionem: tanta enim earum in dies apud omnes gentes copia, tantusque methodorum numerus editur! Quae tamen auctoris adsertio modestiae pignus in eo libro conficiendo mihi est, quem ad modum et illa ibidem verba: «Notre livre n'a pas visé à dire plus que les autres»; et novus enim liber est, mea sententia, et absolutus prae aliis innumeris.

Nihil singillatim dicam de typographica ratione, adcurata et varia, cum plagularum una obiter inspectio vehementer placeat, atque ideo grammaticae regulae adolescentuli quasi oculis insiguntur: plerisque in paginis septem, octo, novem typorum genera obferuntur. Paucis typographia sane est aérée.

Doctrinae vero expositio grammaticae lucida atque nitida, solida et ordinata. Ut unius ubertatis specimen demus, in primis commendatur numerus 259, qui plus 300 irregularium verborum vocabularium adfert; numerus 435, qui adjectiva circiter 100 cum propriis grammaticis constructionibus; numerus 693 (12 ipsae plagulae), qui praecipuarum verborum constructionum. Quae vero maxime hoc in libro laudanda, ea est syntaxeos expositio atque explanatio. Exemplorum typi grandis ope, ea prae primis adducitur, quae quasi compendium doctrinae erit regula. Itaque 209 exemplis regulisve Latina omnis syntaxis exstruitur et amoena ratione et solida. Ex animo, igitur, et auctori grammatices gratulamur ob eximium laboris paedagogici suscepti exitum, et alumnis Latinitatis, qui adeo apto in studio instrumento potentur.

Nonnulla denique hic proprio penu auctori innumemus, in consequentibus fortasse editionibus notanda. Exigua summo opere nobis prosodiae ac metricae expositio videtur: duabus omnino plagulis absolvitur. At est grammatices brevitati consulendum. Ideo eos eliminandos numeros proposuerim: 188, 213, 223, 227, 228, 229, 230, et a 311 ad 376; paucis, 27 pag. Ceteras repetitiones in genere dumtaxat probamus, cum minutatim discutiendi spatium non sit. Quod autem de eliminanda La Petite Syntaxe propono, nullatenus obfcit menti in prooemio expressae, nam La Grammaire Complète potest includere, nulla repetitione adducta, La Petite Grammaire (morphologiam et syntaxim), verbi gratia, notando numeros alterius grammatices asterisco, qui in alterius omittetur... Ad volu-

minis vero unitatem, ni fallor, conferret numerorum 80, 215, 259, 435, 693 ex-punctio et eorum in fine appendicis in modum insertio. In aliquibus adferendis definitionibus fortasse res non ita exprimitur, ut in num. 376: «L'apposition est un nom à coté d'un autre pour le déterminer». Neque, nisi modo relativo, placent omnino definitiones adjectivi, epitheti, attributi... In linguis docendis maxime, mihi crede, desiderantur principia Grammaticae generalis, quin ideo omnino traditionem «première loi de tout progrès» aspernamur.

In num. 212 typographus scripsit legi loco legi, et in num. 282 quisqua pro quisquam. Num. 132 dicit alterius, quod notulae pag. 32 contradicit. In numero 227 deest praeteritum intuitus sum. In num. 299 una cum vocibus causâ et gratiâ per-belle caderet insertio praepositionis ergo, quae nullibi in grammatica invenitur. Neque ullo modo illud subscribimus numeri 848, 1: «Comme une syllabe a la quantité de sa voyelle...» Alias, ne plura, non esset verum illud Ciceronis: «Quid vero hoc elegantius, quod non fit natura, sed quodam instituto, inductus dicimus brevi prima littera, insanus producta.» (Orator, 48, 159.) *Ii autem minuti naevi nihil detrahunt grammaticae, quam viris equisque commendamus omnibus.*

Dr. Josep M.^a Llovera, Pvre. — Confessions de Sant Agustí. Versió del llatí al català. Lluís Gili, Editor. — Córsega 415, Barcelona, 1931.

Gloriantur admodum Catalaunicae litterae reddito ad eas opere «Confessiones Sti. Augustini», quod hodie lectoribus praebemus. Viribus haud communibus, sed vere athleticis eguit, qui tale opus nullo desiderato labore est interpretatus. Ibi superatae difficultates paene insuperabiles, ibi conatus vere gigantei, magna scientiae Theologicae copia, perfecta Latinae linguae vernaculaeque cognitio.

Traductionem comitatur eruditus commentarius cum clara et patienti adnotationum serie, eaeque accuratissimae, quae in-

gentis molis criticum adparatum obferunt. Sermo delicatus rivo labitur mansuetiore, rithmica vi ac lepore, sicut in originali.

Ch. M. des Granges. — Les Poètes Français (1820-1930). — Paris, Librairie A. Hatier, 8, rue d'Assas, 1932.

Quod in scholas atque in periculorum programmata invehantur poëtica scripta Gallorum auctorum saeculi XIX et XX, idcirco praesens volumen editur, cujus naturam studiosis Gallicarum litterarum obiter pandemus.

Hoc nempe volumen, quod «Collection d'Auteurs Français» prosequitur, novam, eamque curiosam anthologiam poëtarum Gallorum praebet, qui ab anno Domini 1820 ad 1930 usque floruerunt Conflatur vero 510 pagellis in octavo ornaturque quinquaginta circiter praecipuorum poëtarum imaginibus. Pars libri potissima, neque id inmerito, quattuor vere classicis saeculi XIX poëtis adscribitur, nimirum Lamartine (pag. 19-61), Victor Hugo (pag. 65-83), Musset (pag. 135-158), Vigny (pag. 163-183). Reliquorum autem, quae adferuntur, poëtarum scripta in volumine pro rata exstant.

Finis tandem compilatoris hujus, quem commendamus, libri est talis: scripta nonnulla magistris atque professoribus obferre non modo scite composita, sed notis etiam criticis commentata, quibus ipsi in aulis fructuose nulloque fere labore uterentur. Quod certo certius auctor obtinuit, qui notitiam brevem poëtae vitae praeire scriptis curavit, eaque adcurata commentatione atque facili ditavit. Ibi non formas solum compositionis metricae avitas reperies et usitatissimas, verum aliqua etiam versuum solutorum analecta, qualia H. de Rénier, Verhaeren, Francis Jammes. Denique commodiorem modum utendi libri in introductione rite expositum habes. Paucis, volumen cum moderatorem Conlectionis Auctorum Gallicorum honestat, tum librariae Hatier meritum auget.

A. MARQUÉS, C. M. F.

Exercitationes Scholares

Vir fortis

(Ann. III. n. 22)

Imperator quidam periculosum in genu vulnus acceperat. Chirugi ad cruris amputationem procedendum fore dixerunt. Quod audiens ille magnam monstravit pacem. Inter circumstantes, suum cubicularium vidit, qui profundissimum dolorem experiri videbatur. Cur luges? —subridens ille—: id tibi accidit fortunate, ex hoc enim unum dumtaxat calceum eris inceraturus.

XAVERIUS MARIA ALVARUS

Oniati in Guipuzcoa.

De viro forti

Quidam imperator in genu vulnus periculosum acceperat. Chirugi ad cruris amputationem procedendum fore declaraverunt. Quod audiens, magnam pacem imperator ostendit. Inter eos qui aderant cubicularium vidit qui dolorem maximum experiri videbatur. —Quid luges, dixit ei adridens: id tibi fortunate accidit, quia in posterum unus tantum calceus tibi erit incerandus.

FRANCISCUS MARTÍNEZ DE APELLÁNIZ

Oniati in Guipuzcoa.

De viro forti

Dux quidam grave vulnus in genu acceperat. Chirugi declararunt ad cruris amputationem fore procedendum; quod audiens, magnae pacis signa ostendit. Inter eos qui aderant, cubicularium animadvertit in maerore maxime jacere: Quid adfles?—ei dux adridens: id tibi accidit fortunate, in posterum enim unum modo calceum incerabis.

NICOLAUS A TELLERIA

Oniati in Guipuzcoa.

Composita ex *Fero*: llevar

Fero - *ers* - *erre* - *tuli* - *latum*

<i>Adfero</i>	=	traer	<i>Obfero</i>	=	ofrecer
<i>Aufero</i>	=	quitar	<i>Perfero</i>	=	soportar
<i>Confero</i>	=	contribuir	<i>Praefero</i>	=	preferir
<i>Defero</i>	=	entregar	<i>Profero</i>	=	sacar
<i>Differo</i>	=	diferir	<i>Refero</i>	=	referir
<i>Effero</i>	=	levantar	<i>Subfero</i>	=	sufrir
<i>Infero</i>	=	meter	<i>Transfero</i>	=	trasladar

Compositiones Vertendae

Del dicho al hecho...

La casa de Ariosto respiraba (1) la sencillez (2) de un filósofo. Preguntósele una vez (3) por qué no la había hecho más magnífica, habiendo (4) descrito en su *Rolando* tantos suntuosos palacios, tan bellos pórticos y agradables fuentes.

A lo que respondió él (5): Más pronto y con más facilidad se reúnen las palabras que las piedras.

Notulae

(1) Referre. — (2) Ingenuitas. — (3) Quondam. — (4) *Qui* por relativo. — (5) *Cui ille*.

Equus bellator et equus ruricola

Fefellit (1) saepe non cautos mutatio.

In agro Florentino haberi coeperat (2) delectus equorum, maximo jam propediem bello imminente. Adlectores pepercerant equis cujusdam agricolae, cujus tenuitas (3) monuit (4) posse nihil parvis detrahi bonis. Domino campestris operas (5) duo agebant equi, aequales annis, et juventa fervidi. Consilio levior fieri bellator cupit, et socio mentem istis aperit sermonibus: vitae me nostrae miserae jamdiu plget; (6) laboris tanti taedet: ferre sarcinas, easque saepe turpes, o quantum pudet! Honor major erit pulcrum alacremque militem vectare dorso, diros hostes adgredi, clara victorum laude constanter frui. Sed alter renuit, vitam ruris praeferens. Tunc ille furtim se delectis adgregat, luxurians (7) alte; cervice ferus (8) ardua. Jam compos voti (9) mox in castra ducitur. Initur pugna: misere bellator novus gravi recepto humi (10) prostratur vulnere. Suam dolens fortunam moritur ingemens: O socium, o campos, o florentes hortulos, quam male vos demens volui derelinquere!

L. Rocci, S. J.

Notulae

(1) Suele engañar. — (2) *Coepit* erat. (3) Modesta fortuna. — (4) Hizo entender. (5) Servicios. — (6) — Me hastío. — (7) Brincando. — (8) Orgullosa. — (9) Cumplido su anhelo. — (10) En tierra.

Prof. Emmanuel Jové, C. M. F.

Moderator

Typographia F. Camps Calmet — Tarrega.

